10. *Cur Deus circumciſionem non citius inſtituerit?* Quia voluit eccleſiā ſuam paulatim proficere. Deinde eccleſia in Abrahami poſteritate valde creuit. Voluit ergo Deus teſſeram diſſociationis extare.

11. *Cur Deus nō citius inſtituerit agnum paſchalem?* Quia voluit illum eſſe memoriale exitus ex Ægypto.

12. *Quo ſenſu dicantur exſcindendi è populo Dei, qui non erant circumciſi?* Quia contemtus ſacramenti redundat in authorem. Deinde qui negligebat ſignum inſitionis in fœdus, præſumebatur negligere ipſum fœdus.

13. *Cuius rei ſacramentum fuerit agnus paſchalis?* Chriſti crucifigendi, tanquam agni immaculati.

14. *An agnus paſchalis clarius ob oculos ponat crucifixionem Chriſti, quam euchariſtia?* N. Nam in S. Cœna repræſentatur nobis paſſio Chriſti diſtinctius per fractionem panis, fuſionem vini, & ſimiles ceremonias. Deinde panis & vinum omnium clariſſime oſtendunt, quomodo Chriſtus crucifixus nobis proſit; ſi nempe fide edatur & bibatur.

15. *An agnus paſchalis fuerit typus S. Cœnæ?* Si typus referatur ad rem typo ſignificatam, negatur. Ita enim agnus paſchalis fuit